

data est etiam de actibus quibus homo disponitur ad veram sanctitatem; alias etiam, in ratione legis, non esset adæquata suo fini, nec sufficienter data.

12. *Legem illam non justificasse.* — Neque vero ex hac assertionem sequitur legem justificasse, vel homines eo tempore potuisse ex operibus legis justificari. Probatur hoc, quia non minus verum est legem naturalem non habuisse virtutem justificandi, quam legem Moysi, ut ex Augustino et divo Thoma sæpe diximus, et est constans apud theologos; sed lex naturalis, ut in ea poterant homines salvari, includebat intrinsece et principaliter præcepta Fidei, Spei, Charitatis et Pœnitentiæ, quia hæc media semper fuerunt ad salutem necessaria, et consequenter semper etiam fuerunt præcepta lege divina; ergo intrinsece pertinuerunt ad statum legis naturalis, prout erat lex in sua ratione sufficienter præcipiens in ordine ad vitam æternam. Et ideo dixit divus Thomas hic, quæstione centesima, articulo tertio, legem Decalogi, quæ est lex naturalis, non tantum complecti ea quæ ex principiis primis cognosci possunt, sed etiam illa quæ ex fide divinitus infusa statim innotescunt: ergo quod lex illa præciperet actus fidei vivæ, non sufficit ut dicatur justificare, neque ut homo diceretur justificari ex operibus naturalis legis, alias gratis CHRISTUS mortuus esset: ergo neque id sequitur in lege veteri, etiamsi illa præciperet eosdem actus.

13. *Declaratur doctrina tradita.* — Secundo, declaratur idem ex doctrina D. Thomæ, quæstione centesima sexta, articulo septimo, ubi hanc quæstionem tractans de lege Evangelica, in ea distinguit duo, scilicet, gratiam Spiritus sancti, et documenta fidei et præcepta ordinantia affectum humanum et humanos actus. Et deinde negat legem etiam Evangelicam justificare, posteriori ratione spectata, et in illam convenire ait illud Pauli, *Littera occidit*, ex Augustino, de Spirit. et litter., cap. 4 et 17, qui idem sentit libro de Gratia et liber. arb., c. 11; et Hieron., dialog. 3 contra Pelag., in eodem fere sensu locum illum attingit. Negari autem non potest quin sub documentis et præceptis legis novæ, quibus ordinatur affectus humanus, comprehendantur præcepta Fidei et Charitatis, imo etiam consilia quæ ad perfectionem charitatis ordinantur. Atque ita concludit legem Evangelicam solum justificare ratione gratiæ quam confert. Ergo, licet præciperet et doceret omnia quæ nunc docet ac præcipit, si non daret spiritum gratiæ, non

justificaret; ergo, ut lex dicatur justificare, non satis est quod præcipiat actus per quos potest comparari justificatio, si non dat vires ad illos eliciendos, nec gratiam sanctificantem: ergo quamvis lex vetus præciperet illos actus, nisi aliunde ostendatur dedisse spiritum gratiæ (quod ostendi non potest, cum sit plane falsum, et doctrinæ Apostoli repugnans), inferri non potest præcepta de talibus actibus justificasse. Neque obstat quod Paulus distinxerit legem a fide: nam per fidem intelligit spiritum fidei, per charitatem operantis. Nam, quia hoc est præcipuum in lege Evangelica, ideo inde denominatur: nomen autem legis, veteri accomodat, quia erat pura lex. Unde potius hoc confirmat, quod dicimus: nam præceptum fidei non est fides, et ideo licet fides suo modo justificet, non sequitur præceptum ejus justificare: nam præceptum illud, per se spectatum, sine spiritu fidei nihil prodesset.

14. *Sensus quæstionis elicitur.* — *Lex illa non dabat vires ad efficiendos actus qui ad justitiam disponunt.* — Ex his ergo colligitur sensus in quo dicitur lex vetus non justificare, et quæ sit propria ratio ob quam etiam ex opere operantis non potuerit justificare a peccato. Sensus enim est legem illam non dedisse vires ad efficiendos actus qui ad justitiam et peccati remissionem obtinendam disponunt, etiamsi illos præciperet, unde divus Thomas, in dicta solution., ad 2, sic inquit: *Lex vetus, licet præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur Spiritus sanctus, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris.* Et ita respondetur facile ad priorem partem objectionis, negando consequentiam, et ultimam probationem ejus, quia lex non justificat præcipiendo, sed juvando, ut ex frequenti Augustini doctrina constat. Dices: quomodo poterat lex supernaturales actus præcipere, si vires ad illos efficiendos non præstabat? alias videretur impossibilia præcipere. Respondetur non defuisse illis hominibus, quibus lex illa dabatur, auxilia gratiæ necessaria ad illos actus præstandos, quod recte probat objectio facta; illa vero auxilia non fuisse ex vi legis, neque ex vi alicujus principii pertinentis ad illum statum obtineri potuisse. Mendicabantur enim (ut sic dicam) ex lege gratiæ, et auctoris ejus: nam per merita Christi venturi, et in fide, et propter fidem ejus conferebantur, ut latius infra, tractando de lege gratiæ, explicabimus. Addi etiam potest illa opera facta ab homine lapsa, et in statu pec-

cati existente, nunquam per se valuisse ad justificandum seu sanctificandum peccatorem, neque ad remissionem peccati præstandam sine speciali gratia Dei, quæ gratia nec dabatur, nec promittebatur ex vi legis veteris, et ob hanc etiam causam lex illa non justificabat quoad primam justificationem.

15. *Solvitur altera pars objectionis, justos illius temporis mereri potuisse de condigno augmentum justitiæ, et coronam gloriæ.* — *Virtutem merendi dare non potuit lex vetus.* — Unde ad alteram partem objectionis fatemur, justos illius temporis potuisse de condigno mereri augmentum justitiæ, et coronam gloriæ, ut aperte constat ex testimoniis Scripturæ capite præcedenti allegatis, et præsertim ex Paulo, ad Hebr. 10 et 11, et ex doctrina Concilii Trid. supra allegata. Et ex eisdem principiis, est æque certum justos servantes legem, sive moralem, sive ceremonialem, sive judicialem, per bonos actus morales factos ex fide per charitatem operante, per eosdem actus meruisse de condigno augmentum justitiæ et æterni præmii, quod est æque certum; tum quia gratia in omni tempore et statu fuit semen vitæ æternæ, et fons aquæ in illam salientis; tum quia promissiones vitæ æternæ, ut mercedis, in omni et pro omni tempore fuerunt, ut supra visum est, tum etiam ex aliis principiis positis. Nihilominus tamen verum etiam est legem illam non dedisse augmentum justitiæ, quia virtutem merendi dare non potuit. Omne enim meritum et augmentum gratiæ et vitæ æternæ fundatur in gratia ipsa, et requirit auxilium ejus et promissionem divinam; nihil autem horum fuit ex vi illius legis, ut satis ostensum ac declaratum est. Et ideo nec meritum ipsum nec effectus ejus potest illi legi attribui, quia nec fuit principium ejus, nec ad illud juvabat, sed solum illuminabat et instruebat, et ideo frequenter in Scriptura vocatur lex illa lucerna et sapientia illius populi, quia solum docebat et non juvabat. Unde, in ordine ad meritum et augmentum justitiæ, nullam specialem prærogativam habuit ille populus, præter illam, *Quod credita sunt eis eloquia Dei*, ad Roman. 3, et ita de utraque justificatione verum est illud Pauli ad Galat. 3: *In lege nemo justificatur apud Deum*, utique ex vi illius, sed *justus ex fide vivit*.

15. *Quod de merito dictum est, de impetratione et satisfactione dicendum.* — Et quod dictum est de primo merito, dicendum est de impetratione et satisfactione justorum, non

solum pro pœnis temporalibus debitis pro peccatis propriis jam remissis, sed etiam pro aliis, vel viventibus, vel etiam mortuis. Nam quod sub illa lege justis possent hoc modo satisfacere apud Deum, manifestum est ex illo 2 Machab., 11: *Sancta et salubris cogitatio est pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. Item ex illo Psalm. 50: *Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me*, cum similibus. Et rationes factæ idem probant. Quod autem ille etiam effectus non fuerit ex vi legis, sed ex fide et meritis Christi, ex eisdem locis Pauli constat, et eodem modo explicandum est, ut per se satis constat.

CAPUT VIII.

AN LEX VETUS PERFECTA, VEL IMPERFECTA
CENSENDA SIT.

1. *Ratio dubitandi de perfectione legis veteris.* — Ratio dubitandi esse potest, quia ostensum est legem illam fuisse principaliter et immediate a Deo: opera autem Dei perfecta sunt; ergo et lex illa. Item lex illa fuit perfecta ex fine, quia ad optimum finem, tam ultimum quam proximum, ordinata est; atque etiam in mediis optime ordinata fuit, tum quia quæ a Deo sunt, ordinata sunt; tum etiam quia ostensum est præcepisse omnia quæ suo fini erant accommodata, et tunc præcipi expediebat; atque ita etiam ex parte materiæ ac mediorum perfecta fuit; ergo simpliciter perfecta fuit. Denique de Deo scriptum est, Job, trigesimo sexto cap.: *Non esse ei similem in legislatoribus*, quia lex ab illo lata non solum a summa bonitate, sed etiam a summa patientia et prudentia proficiscitur; ergo non potest non esse perfecta; sed lex vetus est a Deo ut legislatore: ergo. In contrarium vero imprimis est dictum Pauli ad Hebr. 7: *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem ejus et imbecillitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*: at infirmitas, et imbecillitas sunt magnæ imperfectiones; et causa etiam quæ nihil perfectum producit, profecto imperfecta est. Deinde perfectum est, cui nihil deest: at illi legi multa pertinentia ad perfectionem deficiebant, nempe virtus justificandi, spiritus adjvans infirmitatem nostram, perfectio sacramentorum et sacrificiorum, et consilia perfectionis: ergo fuit simpliciter imperfecta. Denique si perfecta fuisset, permansisset; non permansit autem:

ergo reprobata est, quia imperfecta, ut Paulus in citatis verbis significat, et ad Galat. 3, dum illam comparat pædagogico cujus instructio imperfecta est et puerilis.

2. *Res imperfecta dupliciter dicitur: privative, negative.*—Resolutio hujus puncti facilis erit, si, ex lib. 5 Metaphysic., supponamus, rem imperfectam dupliciter dici, scilicet, privative, vel tantum negative. Rem illam voco privative imperfectam, cui deficit aliqua perfectio sibi debita secundum speciem suam, vel saltem valde illi expediens secundum capacitatem suam: negative autem dicitur res imperfecta, quæ majori aliqua perfectione caret, cujus vel capax non est, vel saltem illi non est debita, nec conveniens, secundum aliquem statum. Exempla possunt esse facilia, et ideo illa omitto, solumque adverto priorem imperfectionem considerari in re secundum se, ut absolute spectata; posteriorem autem imperfectionis modum præcipue solere attribui alicui rei per comparationem ad aliam rem perfectiorem, vel in ordine ad aliquod genus intra quod non habet maximam perfectionem sub illo possibilem. Ut homo ignorans imperfectus est, non solum comparative respectu scientis, sed absolute et in se, quia caret magna perfectione convenienti et possibili humanæ naturæ: homo autem indigens discursu ad intelligendum et judicandum, non dicitur absolute imperfectus, quia ille modus cognoscendi est connaturalis homini; per comparationem autem ad Angelum imperfectus dicitur. Juxta hos ergo modos judicandum est de perfectione vel imperfectione legis veteris, utrumque enim diversis respectibus potest illi attribui, quod per sequentes assertiones breviter explico.

3. *Lex vetus imperfecta fuit secundum negationem plurium perfectionum.*—Dico ergo primo: lex vetus imperfecta fuit secundum negationem plurium perfectionum quibus caruit, seu per comparationem ad perfectiorem legem. Hæc assertio probatur imprimis testimonio Pauli, cum aliis assertionibus ei adjunctis posteriori loco. Secundo, probari potest per comparationem ad perfectionem legis novæ; quia vero comparatio supponit cognitionem utriusque extremi, hanc probationem usque ad finem libri sequentis omitto. Tertio, probatur numerando breviter imperfectiones illius legis. Prima est, quia non dabat vires ad assequendum finem suum, neque ad exequendum præcipuos actus suos. Ita sumitur ex D. Thoma, quæst. 98, art. 1, et satis con-

stat ex dictis in capite præcedenti. Ratio enim hujus imperfectionis est, quia opera præcipua illius legis non poterant impleri sine spiritu fidei et gratiæ, ac subinde lex illa impleri integre non poterat, vel collective quoad omnia præcepta, vel etiam divisive quoad aliqua perfectiora, sine gratia quam ipsa non conferebat, sed aliunde expetenda et expectanda erat. Et similiter finis præcipuus illius legis comparari non poterat sine justitia apud Deum, et remissionem peccatorum, quam dare non poterat, ut testatur Paulus ad Hebræos, 9, et jam declaratum est: sub genere autem legis divinæ dari potest lex habens illam perfectionem, ut in sequenti libro ostendemus; ergo, hoc titulo, merito dicitur lex vetus fuisse imperfecta in genere divinæ legis.

4. Imo indicat divus Thomas, supra, legem veterem quodammodo fuisse in hoc imperfectam per comparationem ad legem humanam et civilem, quia lex civilis, licet dare non possit vires gratiæ, non indiget illis ut impleri valeat, et ideo illa non censetur tanta imperfectio in lege civili et humana, quanta fuit in lege veteri. Quæ doctrina aliquibus non probatur, quia etiam lex humana civilis debet impleri per actus moraliter bonos, qui sine gratia fieri non possunt. Sed hoc parum obstat; tum quia fundamentum assumptum falsum est: possunt enim aliqui actus morales, boni ex omni parte intra latitudinem rationis naturalis, sine speciali gratiæ auxilio fieri; tum etiam quia lex aliqua civilis integre impleri potest per actus bonos secundum substantiam, etiamsi ex circumstantia male fiant, ad quos gratia non est necessaria in omni sententia. Aliter vero videri potest illa differentia non subsistere, quia, licet lex humana non requirat semper vires gratiæ, saltem requirit vires rationis naturalis et alicujus etiam facultatis, quas lex humana non præbet, sed supponit, et ita proportionem servata, eandem habet imperfectionem. Respondetur differentiam in hoc observari, quod lex pure humana seu civilis nihil præcipit, nisi quod est proportionatum viribus naturæ; et sic, licet non præbeat vires, ex natura sua supponit illas sufficienter: unde fit ut efficaciter, vel, quantum in se est, sufficienter ordinet ad proprium finem a se intentum. Lex autem antiqua requirebat vires gratiæ ut impleri posset, et illas non dabat, nec, ex natura sua vel status populi cui dabatur, illas supponebat, et ideo, quantum in se erat, insufficienter et ineffaciter ordinabat homines ad supernaturalem finem, et ex

hac parte erat quodammodo minus perfecta respective, licet absolute fuerit longe perfectior ex fine et ex aliis causis.

5. Secunda imperfectio legis veteris fuit, magnum pondus operum imponere, quæ magna ex parte valde onerosa erant et gravia, parumque utilia. Ita sumitur ex verbis Petri, Actor. 15, ubi hac de causa legem illam vocat *jugum importabile, quod nec nos* (inquit) *nec patres nostri portare potuimus.* Quæ verba non absolutam impossibilitatem, sed gravem difficultatem significant. Quæ difficultas imprimis oriebatur ex sarcina innumerabilium observationum, ut ait Augustinus, serm. 9 de Verb. Domin. Nam ob eam causam lex factorum a Paulo vocatur, ut supra notavi. Deinde, augebatur difficultas ex conditione operum quæ præcipiebantur; erant enim sacrificia multiplicia et cruenta, et observantia carnales: *In cibis et in potibus, et variis baptismatibus, et justitiis carnis, quæ non possunt perfectum facere servientem,* ut dicitur ad Hebræos 9, et eleganter explicuit Clement., lib. 6 Const., capit. 20. Et ideo dicuntur etiam illa præcepta parum utilia juxta eundem Paul., ad Hebr. 7; et inde augebatur onus et difficultas legis, quæ præcipiebat multa, et per illa spiritum et gratiam non præstabat. Dices, videri alienum a suavitate divinæ providentiæ, legem tam onerosam hominibus imponere, præsertim non præbendo copiosiora auxilia ad illam implendam. Respondetur suavitatem divinæ providentiæ non esse æqualem, nec ejusdem modi in omnibus operibus ejus, sed cum proportionem distribui juxta occurrentes occasiones. Homines ergo tunc indigebant illo onere ut continerentur in officio, et ab idolorum cultu abstraherentur, ut Clement. supra, August., et alii Patres passim docent: onerare autem subditum, quando indiget tali onere ad majus bonum, non est contra suam providentiam superioris. Accedit quod illi populo nunquam negavit Deus auxilium sufficiens ad legem implendam, ut docet divus Thomas, quæstione 98, articulo secundo, licet illud non daret ex debito aut virtute legis, sed ex merito CHRISTI, ut supra dixi.

6. *Lex vetus gravissimas pœnas temporales minabatur.*—Tertia imperfectio illius legis est, quia gravissimas pœnas temporales minabatur, et illis magis terrebat homines quam amore attraheret, et ideo dicta est lex timoris, quia, licet spe etiam præmiorum excitaret homines, prævalebat tamen pœnarum ti-

mor, ut lib. 6 contra Adimantum, cap. 16 et 17, et lib. de Morib. Eccles., cap. 28, tradit Augustinus, ubi cum Paulo ad Hebr. 12, ex ipsa forma tradendi legem illam, id late confirmat. Unde etiam infert legem illam fuisse potius servorum quam filiorum, et potest esse quarta ejus imperfectio, quæ sumitur ex illo ad Romanos 8: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Ubi Chrysostomus, et Græci, et Latini, et Augustinus, supra, ita exponunt. Per illam enim particulam *iterum*, alludit ad legem, quia ille erat spiritus legis veteris, propter quod dicitur ad Galatas quarto, de veteri Testamento: *In servitute generasse filios.* Non quia justii illius temporis vere non essent filii, sed quia ex vi legis non gubernabantur ut filii, sed ut servi. Unde in principio ejusdem capituli significat S. Paulus, populum illum tunc fuisse veluti filium parvulum, qui non differt a serco, sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a Patre. Ex quo etiam videtur colligi legem illam esse infantium seu parvulorum, quæ potest esse quinta ejus imperfectio; quam indicavit Paulus ad Galat. 3, assimilans legem illam pædagogico, ut supra explicatum est. Ubi etiam declaravimus huic imperfectioni annexam fuisse aliam, scilicet, quod lex illa res temporales promitteret, quibus parvuli allici solent ad parendum pædagogo; et hæc esse potest sexta illius legis imperfectio: et septima esse potest, quia non dabat consilia perfectionis, ut paupertatis et castitatis, quæ est etiam annexa præcedentibus; tum quia hæc non sunt consilia puerorum in fide et gratia, sed virorum; tum etiam quia talia consilia non bene cohærent cum temporalibus promissionibus, quæ affectum illis consiliis contrarium supponunt. Octava esse potest, quod lex illa quædam secundum se mala permittebat. Hanc enim inter imperfectiones illius legis ponit Isidorus, lib. 2 de Different. spirit., cap. 28; licet enim illa permissio esset cum excusatione a peccato, ut supra declaravi, fundabatur in periculo majoris mali, et in aliqua nimia concupiscentia sensibilibus rerum, et ideo ad imperfectionem legis pertinebat. Denique plures aliæ imperfectiones illius legis memorari possent; sed hæc sufficiunt ad ejus imperfectionem ostendendam; aliæ vero tractantur melius libro sequenti, utramque legem veterem et novam inter se conferendo.

7. *Lex vetus in suo ordine et gradu perfecta fuit.*—Nihilominus dico secundo: lex vetus in suo ordine et gradu perfecta fuit. Ita doce

D. Thom., q. 98, art. 2, ad 4, et probatur sufficienter rationibus dubitandi priori loco positus. Declaraturque in hunc modum: nam lex illa considerari potest, vel ratione generis, quia, scilicet, lex divina fuit, vel secundum propriam speciem, quia fuit talis lex divina. Priori modo spectata, habuit omnem perfectionem legi divinæ positivæ convenientem, ut ex dictis facile constare potest: nam Deum habet proximum auctorem, in illius enim voluntate proxime fundata fuit, eamque indicavit, et ab illius potestate processit, non tantum ut auctore naturæ, sed etiam ut auctore supernaturali: unde etiam habuit, ut non solum sancta et immaculata fuerit, sed etiam per fidem innotuerit hominibus, et ad supernaturalem finem fuerit ordinata. Denique ex eodem principio et gradu divinæ legis, immutabilitatem specialem habuit, quam a divina voluntate participat; id enim commune est legi divinæ, ut divina est, ut in sequenti capite latius explicabitur.

8. *Lex illa in specie propria perfecta.* — Posteriori autem modo considerando legem illam, ut talis lex fuit, quasi in specie, habuit alium modum perfectionis, quia sub tali ratione nihil illi defuit quasi quod illi esset debitum secundum talem rationem, seu quod, in ordine ad proximum finem suum adæquatum et in ordine ad tales personas seu talem populum et talem statum generis humani, habere debuerit: et in hoc sensu dixit Clemens papa, lib. 6 Const., c. 19, *Legem illam fuisse perfectam, plenam, et nulla ex parte deficientem.* Denique id optime declarat divus Thomas, supra, quia perfectio alicujus legis in specie sumptæ non consideratur absolute, sed cum proportione ad eos quibus datur, ita ut statui et conditioni eorum sit accommodata. Nam leges religiosis accommodatæ, si secularibus imponantur, exorbitantes erunt, et deficient a perfectione legis, quia lex quoddam medium est: medium autem ut sit perfectum, debet esse fini accommodatum. Unde recte dicit divus Thomas, si lex imponatur puero, ut sit perfecta, non debet ea præcipere quæ propria sunt virorum, sed quæ puerorum institutioni sint accommodata. Ita ergo se habuit illa respectu humani generis, quod tunc non erat capax majoris perfectionis, quia multis transgressionibus subjectam erat, et nondum satis agnoverat imbecillitatem suam et indigentiam mediatoris et gratiæ ejus, per quam posset ad excellentiorem statum ascendere, et ideo pro tunc non erat debita, nec

accommodata illi legi major perfectio. Quod autem lex illa habuerit omnem perfectionem quam status ille postulabat, satis patet ex dictis de materia illius legis: nam præcepit omnia necessaria ad cognitionem, et religionem veri Dei et CHRISTI, et ad rectitudinem vitæ, tam moralis quam humanæ et politicæ; ergo nihil illi defuit ad perfectionem sibi debitam. Nec etiam plura præcepit quam expediret, quia populus ille duræ cervicis indigebat tunc illa sarcina præceptorum, ut declaratum est; et ita satisfactum est argumentis in utramque partem in principio positis.

CAPUT IX.

AN LEX VETUS FUERIT MUTABILIS, ET QUOMODO CESSARE POTUERIT.

1. *Mutatio legis veteris.* — *Dubium.* — Explicata tota ratione veteris legis, causis, effectibus ac proprietatibus ejus, superest de illius abrogatione dicendum, quod hujus libri punctum præcipuum est. Prius vero quam ad illud accedamus, operæ pretium erit exponere an modi alii mutationum, quos in lege positiva humana explicuimus, in lege illa locum habuerint, et, in universum, quomodo lex illa mutabilis vel immutabilis fuerit. Ratio autem dubitandi esse potest, quia lex illa nihil aliud est quam divina voluntas; sed voluntas Dei est immutabilis; ergo et illa lex. Consequentia videtur clara. Major autem patet, quia lex illa propriissime divina fuit, ut ostendimus; lex autem divina in Deo nihil aliud est quam voluntas ejus, ut ex dictis in l. 4 constare potest; ergo. Unde hæc ratio de omni lege divina, quatenus talis est, æque procedit; quia omnis divina lex immediate a divina voluntate pendet, non effective tantum, sed quasi formaliter, quia ab illa immediate accipit vim obligandi, per quam in esse legis constituitur; ergo necessarium videtur, ut sit æque immutabilis ac ipsa voluntas Dei.

2. *Lex vetus a solo Deo mutabilis.* — In hoc puncto breviter dicendum est, primo, legem veterem nullo modo mutari potuisse ab alio quam a Deo, vel juxta decretum ipsius Dei. Probatur ratione facta, quia fuit proprie lex divina, et omnis lex proprie divina hoc modo immutabilis est, utique ab alio quam a Deo, ut recte docet Bern. in l. de Præcept. et disp., c. 5, satisque colligi potest ex his quæ, supra, de legis naturalis indispensabilitate seu immutabilitate diximus, et

trahit Lactant., lib. 6 Institution., cap. 8; item ex his quæ diximus de lege humana a superiori lata, quatenus ab inferiori mutari aut dispensari non potest. Ratio enim eadem est, quia voluntas Dei suprema est, et omnis alia est inferior et subdita; ergo lex per divinam voluntatem constituta, etiamsi positiva sit, per nullam aliam voluntatem mutari potest; ergo est immutabilis ab alio quam a Deo.

3. *Abrogatio legis ad solum Deum spectabat.* — Atque hinc sequitur, primo, legem veterem a nullo alio quam a Deo, seu, quod idem est, non nisi juxta præscriptum divinæ voluntatis potuisse abrogari, sive in totum, sive in parte. Probatur facile, quia legis abrogatio quædam ejus mutatio est; sed non potuit illa lex ab alio quam a Deo mutari; ergo nec abrogari. Unde in hoc etiam eadem ratio est de qualibet parte legis quæ de tota lege, quia non minus pendet quælibet pars talis legis a divina voluntate, quam tota; sicut ergo non potuit tota lex, nisi a Deo abrogari, ita nec pars ejus.

4. *Solus Deus dispensare potuit.* — Atque hinc ulterius sequitur non potuisse quempiam præter Deum ipsum in lege illa dispensare. Ratio est eadem, quia dispensatio legis quædam ejus partialis mutatio est. Item quia par in parem non habet potestatem, nedum inferior. Atque hanc veritatem specialiter ac fuse tradidit Salmer., tract. 61, in Acta, ubi illam confirmat verbis Christi: *Non veni solvere legem, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant,* Matth. 5, et aliis Scripturæ testimoniis, quibus divina veritas et verbum Dei in æternum manere dicitur, Psalm. 116. Quæ testimonia potissime loquuntur de verbo Dei aliquid affirmantis, vel prædicantis; sic enim nihil impedire potest quominus veritas ejus subsistat, et impleatur. In quo sensu nec Deus ipse facere potest ut verbum suum, in eo sensu in quo dictum est, deficiat, seu non veniat, seu verum non sit. Nihilominus cum proportione etiam probant illa testimonia de verbo Dei præcipientis et obligantis; nemo enim facere potest, ut verbum præceptivum Dei non obliget pro eo tempore et modo quo a Deo prolaturum est, alioqui tale verbum fieret suo modo falsum et inefficax. Deinde adducit cap. *Super eo*, de Usur., ubi Innoc. III supponit indispensabile esse quod pagina utriusque Testamenti prohibitum est; ubi licet Pontifex loquatur de usura, quæ non est mala quia pro-

hibita, sed prohibita quia mala, nihilominus si consideretur tantum vis divinæ prohibitionis, eandem efficaciam habet in quacunque materia, quia nullus potest facere licitum id quod Deus sua absoluta prohibitione facit illicitum: unde etiam in hoc æquiparantur pagine utriusque Testamenti; infra autem ostendemus legem novam indispensabilem esse, nisi a Deo; ergo idem dicendum est de lege veteri.

5. *Objectio.* — *Responsio.* — *Notandum ultimo.* — Dices: Deus ipse potuit homini concedere facultatem dispensandi in lege sua. Respondeo potuisse quidem, non tamen dedisse in veteri Testamento, quia nullibi legitur talis potestas data Pontificibus vel aliis in illa lege, imo sæpe absolute prohibentur aliquid addere vel mutare de illa lege. Unde nec usus talis potestatis in illa lege cernitur, vel alicubi legitur, quia nec necessarius fuit, nec fuisset conveniens, quia esset magis in destructionem quam in ædificationem. Si tamen Deus alicui homini talem potestatem dedisset, jam illa dispensatio magis esset a Deo quam ab homine, quia Dei voluntate et concessionem fieret, nec voluntas Dei obligandi per talem legem, fuisset omnino absoluta, sed haberet subintellectam conditionem vel determinationem, si talis homo in ea non dispensaret; et ita dispensatio non esset contra, vel præter decretum divinæ voluntatis. Ultimo tamen, in hoc puncto, adverte non consequenter loqui, qui dicunt legem illam, quoad cærimonialia et judicialia, non fuisse proprie divinam, et nihilominus affirmant indispensabilem fuisse per hominem; quia prior assertio destruit fundamentum posterioris, ut ex dictis constat: nos autem supponimus totam illam legem fuisse propriissime divinam, et ideo fere eadem certitudine concludimus, fuisse per hominem indispensabilem; loquor autem de puro homine, nam Christus Dominus potestatem habuit in illa dispensandi, eo quod sit Deus, ut ipse significavit Matthæi 12, dicens: *Dominus est filius hominis etiam Sabbati.* Quamvis nunquam videatur usus illa potestate, sed justa interpretatione, ut ex sequentibus patebit, quia non venit solvere legem, sed adimplere.

6. *Lex illa ab homine interpretari potuit.* — *Ratio conclusionis.* — Nihilominus tamen addendum est potuisse legem illam recipere interpretationem per hominem. In quo omnes convenire videntur, et patet primo ex usu, 1 Regum, capite 21, ubi, per occurren-